

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XV.

*Salutem in Christo Iesu Servatore & Immanuele nostro,  
atq; ut hic annus novus Tua Dign. felix illucescat, felicium procedat, felicissimeque si-  
niatur, semperque felicior redeat, ex toto pectorc precor. Reverende & cla-  
risime Dn. Docto, Domine & amice plurimum honorande.*

**L**itteræ T. Dignitatis, à M. Meliore Schwartio Heydenhemio, mihi red-  
ditæ, humanitatis & benevolentiae plenissimæ, faciunt, ut committere  
non possim, quin Dignitatem T. officiosè salutem, simulque, quid Melior  
ille noster apud nos impetrarit, paucis significem. Potitus est voto suo hone-  
stissimus iste juvenis, & receptus in numerum alumnorum Illustrissimi mei  
Principis, cum quod egregiæ eruditioñis & indolis suæ documenta ediderit,  
rum quod tot gravissimorum Virorum, & inter hos præcipue T. Dignitatis,  
ceu Heri sui domestici, testimonii ornatus & probè munitus ad nos accessit.  
Jussus itaque est se conferre in stipendium Tübingense, atque ibi inter illos,  
quos illi sibi æquales haber, studia sua Theologica continuare, donec ali-  
quando tempore opportuno ad Ecclesiæ Ministerium commodè applicari  
possit. Speramus eum, si, ut feliciter cœpit, sic perrexerit, fore in magna DO-  
MINI domo (quæ est Ecclesia viventis DEI) vas in honorem sanctificatum  
& utile DOMINO ad omne bonum opus paratum.

De rebus Episcopatus vestri varia apud nos feruntur, sed incerra omnia.  
Nos preces nostras quotidianas vobiscum conjungemus, rogamusque, quæ  
ad pacem sunt Hierusalem, ut DEUS pacis ponat fines vestros pacem, & con-  
fortet seras portarum vestrarum, semperque ingeminabimus illud: Da pacem  
DOMINE in diebus nostris, & clementer averte, ne viperina ESAWitarum  
progenies aliqua se in inclita hac urbe (si ædes Ecclesiastice Papicolis sint  
reddenda) in aliqua eorum clam insinuet, indeque virus suum spargat.

Amplissimo & optimo viro, Domino Joh. Georgio Hungertino, affini,  
amico & fautori meo singulari, salutem Dignitatis T. verbis nunciavi, qui  
pro hoc humanitatis officio, & fidelis sui memoria Dignitati T. magnas agit  
gratias, eamque ex se peramanter resalutari jussit. Nobilissimo Viro Domi-  
no Doctori Meliori Sebitio, cum quo à nuptiis Dihemianis noticia amica in-  
tercedere mihi cœpit, & qui nuperæ salutationis meæ internuncius fuit,  
meis verbis salutem dicere Dignitas T. quæso non gravetur. Bene in Chri-  
sto Servatore vale, vir Reverende & Clarissime, animoque meo charissime.  
Data, 9. Januarii, 1603.

*Rev. Tua Dignitatis*

*observans*

**Johannes Magirus, Præpositus Stuttgart.**

XVI.